

www.e-rara.ch

**Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae
principales**

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio XII. An causa prima physcie praemoveat, & praedeterminet causas secundas ad
speciem actus?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quæ exhaurit totam causabilitatem effectûs; ergò non relinquit alteri causæ aliquid producendum; & quia utraque esset sufficiens, quia totalis, & non esset sufficiens, quia effectus adhuc alterâ egeret.

Fundam. Sent. 2. Non potest ostendi implicantia duplicis actionis totalis, ergò divinæ potentiæ negari non debet; causa enim totalis est, quæ producit totum effectum *sine respectu ad aliam causam* &c. non quæ sola &c.

QUÆSTIO XII.

An Causa prima physicè præmoveat, & prædeterminet causas secundas ad speciem actûs?

SENTENTIA I. Negans. Ita R. R. & Sc. Sc. Molina 1. p. q. 14. d. 6. & seqq. & alibi. Suarez d. 22. met. s. 2. & toto lib. 1. & 3. de auxilijs. Bellarminus tom. 3. de gratia, & libero arbitrio c. 11. & 12. & alijs locis. Card. Ptolemæus diff. 6. Theol. natur. s. 4. Lessius disp. de efficaci gratia. Vasquez. 1. p. d. 68. c. 4 & d. 99. c. 3. Conimbric. 2. phys. 6. 7. q.

13. a. 2. Hurtado d. 10. phys. f. 4.
 Oviedo contr. 10. phys. p. 3. Comp-
 tonus d. 30. phys. f. 1. & 2. Calagur-
 ritanus phys. tr. 2. d. 16. c. 3. Abul-
 lensis tom. 5. in met. c. 19. q. 175.
 Fonseca tom. 3. met. l. 6. c. 2. q. 5.
 f. 8. & 10. Burgundi metaph. tr. 3.
 d. 2. q. 3. Semery. tom. 3. d. 4. q.
 2. De Raconis hic sect. 3. q. 1. pag.
 184. Le Roy phylos. rad. Elect. tr.
 16. f. 3. Gervalius hic q. 4. & alij
 multi.

FUNDAMENTA.

I. *Præmotio Physica non est necessaria ;*
 ergò non datur. *aut. prob. 1.* non est ne-
 cessaria *causis necessarijs*, quia causæ ne-
 cessariæ positæ omnibus ad agendum
 requisitis non possunt non agere ;
 ergò ad hoc, ut agant frustranea est
 præmotio. *Deinde* causæ necessariæ
 ex sua natura, & certè non frustra
 sunt determinatæ ad certam speciem
 effectûs ; ergò non indigent præmo-
 tioe physica, aliàs nihil prodesset
 determinatio ad speciem actûs.

Prob. ant 2. Præmotio non est ne-
 cessaria *causis liberis* : quia de ratione
 cau-

causæ liberæ est , ut possit seipsam
determinare ad agendum , ut elegan-
ter ait S. Thomas 2. d. 39. q.
1. a. 1. „ ipsa autem potentia vo-
„ luntatis quantum in se est , indif-
„ ferens est ad plura , sed quodd de-
„ terminatè exeat in hunc actum ,
„ vel illum , non est ab alio deter-
„ minatè , sed ab ipsa voluntate.
Item causa libera cognitionis capax
determinatur ab objectis , & per ju-
dicium rationis. ergò.

Nec dicas 1. Sine præmotione *posse*
fieri operationem causæ 2. Attamen
sine ea operationem nunquam futu-
ram ; ergò præmotio non est ne-
cessaria *ad posse operari* , aliàs se te-
neret ex parte actûs primi , quod
officit libertati , sed est necessaria ad
actum 2. , *ad actu operari*.

Contra est : repugnat potentiam
operari actu sine præmotione , ut fa-
tentur Aa. aliàs enim actio creaturæ ef-
fet independens à DEO, DEus non ef-
fet causa 1^{ma}. &c. ut inquiunt ; er-
gò præmotio est necessaria ad ipsum
actum 1^{um}. , h. e. ut potentia *possit*
in actum exire.

Nec

Nec dicas 2. Sine præmotione posse fieri operationem *potentia antecedente*, h. e. ita, ut potentiam nunquam sequatur opus, non verò *potentia consequente*, quam sequatur ipsum opus.

Contra est: Non possum sine equo Parisios venire nec *potentia consequente*, nec *antecedente*, si equus absolutè necessarius sit, ut *actu* eò perveniam, ergò etiam, si præmotio est absolutè necessaria, ut *actu* operer, non potero sine præmotione operari, potentia, seu antecedente, seu consequente.

2. *Præmotio tollit libertatem*; ergò non est admittenda. *ant. prob. 1.* Voluntas præmota ad amorem non est expedita, & proximè potens ad odium, quia stante præmotione ad amorem nec habet, nec habere potest præmotionem ad odium, per quam reddatur prompta, & expedita ad odium; ergò voluntas præmota ad amorem non est libera.

Ant. prob. 2. Voluntas per præmotionem ab extrinseco sine sua libera cooperatione prædeterminatur ad unum, ergò ut sic præmota non est

est indifferens ad plura , consequenter nec libera.

Confirm. Præmotio , per quam voluntas determinatur ad unum , est *impedibilis* , irreijcibilis ; ergò tollit *indifferentiam* etiam *activam* , qua voluntas ita operatur , ut tamen possit non operari.

Ant. prob. 3. Implicat stante præmotione ad amorem à voluntate elici actum odij ; ergò voluntas præmota ad amorem non est libera , & ad utrumlibet. *ant. prob.* non enim 1. Potest elici juxta Th. Th. *actus odij sine præmotione* , quia , ut aiunt , esset actus independens à DEO , non causatus à causa prima. Nec 2. Potest stante præmotione ad amorem poni *actus odij cum præmotione* , quia non possunt simul consistere præmotio ad amorem , & præmotio ad odium , & quia non potest conjungi odium cum præmotione ad amorem.

Ant. prob. 4. Unum ex prærequisitis ad agendum est præmotio ; atqui stante præmotione ad amorem , voluntas non habet præmotionem ad odium , vel omissionem amoris ;

er-

ergò non potest elicere odium, aut amorem omittere.

Ant. prob. 5. Præmotio ad amorem facit inimpedibiliter, & irresistibiliter, à voluntate elici actum amoris, ita, ut involvat contradictionem, non fieri actum amoris, ad quem voluntas est præmota; ergò præmotio infert *necessitatem*; & quidem *antecedentem*, quia hæc necessitas non oritur ex *suppositione ipsius actûs* amoris, sed ex *positione*, & *inimpedibilitate præmotionis*, quæ saltem naturâ præcedit ipsum actum amoris, cum sit ejus causa; ergò inducit *necessitatem antecedentem*.

Ant. prob. 6. Inter præmotionem ad amorem, & ipsum amorem est naturalis, & invincibilis connexio, ita, ut præmotio ad amorem sit inconjungibilis cum odio; ergò voluntas præmota ad amorem non est indifferens ad odium.

Ant. prob. 7. Ad libertatem requiritur facultas agendi, & non agendi *in sensu diviso*: atqui voluntas præmota ad amorem non habet facultatem amandi, & non amandi *in sensu diviso*; ergò non est libera. *prob. min. stante*
 B b præ-

præmotione ad amorem non potest poni omiffio amoris; & ipfa præmotio ad amorem est *inamovibilis*; ergò voluntas præmota ad amorem non potest etiam *in sensu diviso* non amare. *ant. prob. quoad 1. membr.* ut ponatur omiffio amoris (non pura) necessaria est præmotio; sed stante præmotione ad amorem non potest dari præmotio ad omiffionem amoris; ergò stante præmotione ad amorem non potest poni omiffio amoris.

Ant. prob. 8. Si voluntas posita præmotione ad amorem est libera, tunc in ejus arbitrio erit præmotioni vel consentire, vel non consentire, amare, vel non amare, ita, ut effectus præmotionis *dependeat* necessario à libera, & contingente *electione* voluntatis; ergò præmotio *physica* 1. Non plus dicit, quàm præmotio *moralis*; 2. Erit indifferens ad utrumque, quia conjungibilis cum amore, & non amore. 3. Actualis amor, seu determinatio ad speciem potius erit adscribenda voluntati, quàm præmotioni.

Confirm. Juxta dicta voluntas seipsam determinat ad eligendam, & sequendam potius præmotionem ad amorem, quàm non sequendam; ergò non omnis determinatio est à præmotione; ergò nulla, quia eadem in omnibus est ratio.

Ant. prob. 9. Potentia remota, quam habent beati in cælo, non amandi DEum; non sufficit ad libertatem amoris DEI, quia illa potentia impeditur, ne exeat in actum; ergò etiam potentia illa non ponendi actum, quam juxta Th. Th. in voluntate relinquit præmotio, non sufficit, ut actus amoris sit liber, quia illa potentia non amandi impeditur à præmotione ad amorem.

3. *Præmotio facit DEum Authorem peccati* etiam quoad formalem malitiam, ergò non est admittenda. *prob. ant.*

1. Formalis malitia peccati est indispensabiliter connexa cum materiali peccati in homine rationis compote, rerum circumstantias cognoscente, ergò DEus prædeterminando ad materiale peccati erit causa etiam

prædeterminans ad formalem malitiam peccati.

Confirm. Illi, qui præmotus est ad materiale peccati in ea occasione, qua cognoscit illum actum materiale esse prohibitum, nullaque ratione cohonestari posse, nullum omninò remedium superest effugiendi malitiam moralem peccati; ergò aut non peccat formaliter, aut DEus erit causa peccati quoad esse formale. *ant. prob.* quid enim faciet? Præmotionem impedire non potest; dari præmotionem, & non sequi actum involvit contradictionem; poni actum materiale peccati stante cognitione legis DEI prohibentis talem actum, & non sequi malitiam formalem implicat; ergò quid remedij ei superest? *prob. ant. 2.* DEus si suaderet homini materiale peccati esset auctor peccati formalis; ergò etiam, & multò magis erit auctor malitiæ formalis, si prædeterminet ad peccatum.

4. DEus prohibet peccata, minatur pœnas peccantibus, ergò non prædeterminat ad peccatum. An non DEum faciunt injustum, & tyrannum,

num, qui docent DEum voluntatem hominis indifferentem determinare, & inevitabiliter præmovere ad peccatum, & tamen æternâ pænâ talem actum punire?

Nec dicas : DEum concurrere ad materiale peccati nec tamen esse causam malitiæ formalis ; ergò etiam idem dicendum de præmotione.

Contra est : ingens inter concursum simultaneum, & Præmotionem physicam est disparitas ; quia Præmotio prædeterminat causam secundam ; at concursus determinatur à causa secunda, ergò non est paritas. &c.

RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. ant. ad prob. 1. neg. ant.* licèt enim causæ secundæ necessariae non sint indifferentes quoad speciem actûs, sunt tamen indifferentes, & ex se indeterminatæ quoad exercitium actûs, v. g. ignis ex natura sua est determinatus, ut, si agat, calefaciat ; ut tamen actu operetur, & calefaciat, indiget ut causa secunda, determinari, & applicari à Prima.

Bb 3

Ad

Ad prob. 2. neg. ant. ad prob. d. a.
 1. causa libera debet seipsam deter-
 minare *secundariò*, & dependenter
 à determinatione prævía determi-
 nantis primi con. *primariò*, & indepen-
 ter à determinatione prævía determi-
 nantis primi. neg. a. & c. *d. a. 2.*
 causa libera debet seipsam determi-
 nare *causaliter*, & *effectivè*, neg. *forma-*
liter, h. e. per ipsam operationem,
 con. a. n. c. *causaliter* ergò determi-
 natur à DEO, *formaliter* à seipsa.

Ad addit. Resp. d. a. determinatur ab
 objectis *moraliter* tantùm, & ita ut
 non tollatur indifferentia causæ libe-
 ræ, con. determinatur *physicè*, & ita
 ut tollatur actualis indifferentia, &
irresolutio causæ liberæ. neg. a. & c.
 stante enim cognitione objecti volun-
 tas potest non agere, ut ergò agat
 debet adhuc *physicè* determinari à
 Causa 1a.

Ad Contr. 1. Neg. conf. quia præmotio
 se tenet tantùm *ex parte actûs secundi*,
 non ex parte ipsius potentia: licet
 ergò sine præmotione non habeat *po-*
tentiam ut actualiter operantem, habet ta-
 men potentiam *absolutè*, ut possit exi-
 re in actum. *Ad*

Ad Contr. 2. neg. conf. quia equus ad iter requisitus est requisitum *ordinis inferioris*, & *creati*, ergò ut habeam plenam potentiam perveniendi Parisios, oportet equum esse in mea potestate. &c. econtrà Præmotio est *ordinis superioris* requisitum; unde non oportet, ut sit in mea potestate, ad hoc ut habeam potentiam &c.

Ad 2. Neg. ant. ad prob. 1. neg. ant. & suppos. quòd scilicet Præmotio sit requisitum, per quod voluntas reddatur *potens*; per præmotionem enim solùm redditur *actu* operans, non verò *potens* operari.

Ad prob. 2. d. a. prædeterminatur ad unum *per modum liberi*, ita ut relinquatur voluntati potentia ad oppositum juxta exigentiam causæ liberæ, con. *per modum naturæ*, neg. DEus movet creaturas juxta exigentiam cujusque, liberas *liberè*, necessarias *necessariò*, non solùm movet *ad substantiam* actûs, sed etiam *ad modum* actûs; facit, ut causæ liberæ operentur *infallibiliter*, non ut *necessariò*.

Ad confirm. d. a. est inimpedibilis *originativè* sumpta, con. *terminativè*
 B b 4 sump-

sumpta, h. e. ipse actus sequens præmotionem est inimpedibilis, neg. potest enim voluntas actum proprium suspendere, revocare, & interrompere pro lubitu.

Nec dicas. Ergò Præmotio non est infallibilis & efficax.

R. Enim *neg. illat.* licèt enim voluntas possit non agere potentiâ *possibilitatis*, non tamen non potest non agere potentiâ *futuritionis*, h. e. potest non agere, hæc tamen non actio nunquam sequetur, nunquam est *futura*; & sic præmotio adhuc manet infallibilis.

Ad prob. 3. d. a. non potest elici actus odij *in sensu composito*, h. e. non potest coniungi *actus amoris*, & *actus odij*, con. non potest elici actus odij *in sensu diviso*, h. e. non potest poni actus odij *sejunctim* sine actu amoris, neg. *Nec dicas.* Implicat præmotum ad amorem non amare; ergò non potest non amorem conjungere cum præmotione ad amorem.

R. d. a. implicat *absolutè*, neg. implicat *ex hypothesi* quòd Præmotioni liberè consenserit, & actu amet, con.

Ad

Ad prob. 4. d. maj. unum ex præ-
requisitis *ex parte actûs secundi*, seu ip-
sius actionis &c. *con. ex parte actûs*
primi, seu ipsius potentiae, neg. est
enim, inquit P. Renz *hic de Pramot.*
a. 4. ad object. 7. ipsa applicatio po-
tentiae ad agendum, & se habet per
modum reductivi de actu primo ad
secundum, facitque, ut causa sit ulti-
mò operans, & profundens actio-
nem. non ergò datur præmotio ad
posse agere, sed ad *actualiter agere*, in-
quit P. Wenzl. *Contr. 5. q. 2. §. 2.*

Ad prob. 5. d. a. facit. infallibiliter
&c. *con. facit necessariò* &c. neg. non
enim præmotio actum amoris infert
necessariò, sed liberè, licèt *infallibiliter*;
retinet voluntas potentiam ad non
agendum, sed tamen *infallibiliter* aget.

Dices: Præmotio non est in pote-
state voluntatis; ergò nec actus,
quem infert præmotio.

R. d. c. Si inferret actum *necessa-*
riò, *con.* si solùm *infallibiliter*, & *liberè*,
neg. licèt non sit in potestate volun-
tatis ipsa *acquisitio pramotionis*, est ta-
men in ejus potestate *consensus pramo-*
tioni dandus, vel negandus.

Ad prob. 6. Babenstuber hic §. 4. n. 66. admittit ant. absolutè; sic enim ait: sensus verus, & Thomisticus sensus compositi, & divisi est: Petrus in eo instanti, in quo adest prædeterminatio ad consensum, non habet potentiam conjungendi dissensum cum prædeterminatione ad consensum, habet tamen potentiam eliciendi dissensum absolutè, & prout separatum à prædeterminatione ad consensum. unde dist. conf. non est indifferens absolutè, & in sensu diviso, neg. in sensu composito, con.

Ad prob. 7. Neg. min. ad prob. d. 1. membr. ant. non potest poni omisso amoris potentiâ futuritionis, & consequente, con. non potest poni potentiâ merae possibilitatis, & antecedente, neg. ad prob. d. maj. necessaria est præmotio ex parte actûs 1. seu ad posse poni, neg. ad actu poni, seu ex parte actûs 2. con. ma. & min. & neg. conf.

Ad prob. 8. Neg. 1. seq. Motio enim moralis non physicè determinat ad unum, & quidem infallibiliter, cum voluntas sæpè illas suasiones non sequatur, hæc tamen præstat promotio causam liberam physicè, & infallibili-

biliter determinans ad unum. *ad seq.*
 2. *neg. ant.* licet enim voluntas præ-
 mota ad amorem possit eligere odi-
 um potentiâ *antecedente*, & *possibilita-*
tis, non tamen potest eligere potentiâ
consequente, & *futuritionis*; & sic præmo-
 tio ad amorem in actu secundo nun-
 quam conjungitur cum odio. *ad seq.*
 3. *d. a.* determinatio *formalis* erit ad-
 scribenda voluntati, con. determi-
 natio *causalis*, *neg.*

Ad Confirm. d. a. Determinat seip-
 sam *formaliter*, con. *causaliter*, *neg. a.*
d. c. ergò non omnis determinatio
 est à DEO *formaliter*, con. *causaliter*,
neg. non enim se creatura determi-
 naret *formaliter*, nisi priùs per præ-
 motionem esset determinata *causaliter*.

Ad prob. 9. Neg. parit. Quia lumen
 gloriæ aufert in beatis indifferentiam
 judicij, quia proponit DEum, ut
 summum bonum, ideò infert neces-
 sitatem antecedentem: econtra præ-
 motio non aufert indifferentiam ju-
 dicij, quæ indifferentia est proxima
 radix libertatis; ergò non tollit li-
 bertatem.

Ad 3.

Ad 3. *Neg. ant. ad prob. 1. d. a.*
 Est indispensabiliter connexa vi illius
 causalitatis, quâ DEus influit in ta-
 lem actum, *neg.* est connexa ex vi,
 & influxu, qua voluntas humana, *de-*
ficienter operans, hoc est, eô modô,
 eo tempore, quo non deberet, in-
 fluit in talem actum, con. a. & n. c.
 malitia ergò formalis peccati non est
 connexa materiali absolutè spectato,
 ut actio est, sed, ut procedit à volun-
 tate hominis *modô defectibili* operantis.
 cùm itaque DEus non operetur de-
 fectibiliter, & peccatum formaliter
 sumptum intra sphæram activitatis
 DEI non contineatur, idcirco DEus
 prædeterminandô ad *materiale* pec-
 cati non eô ipsô est causa *formalis* pec-
 cati.

Ad Confirm. Neg. ant. Potest enim
 non ponere actum etiam physicum
 peccati, etsi præsupposita præmo-
 tione infallibiliter cum sit positurus.

Ad prob. 2. Neg. conf. & parit.
 Quia malitia moralis est in eodem
 genere cum influxu morali, & sic in-
 fluxus moralis attingeret in peccato

om-

omne illud, quod continetur in linea morali : econtrà influxus physicus non est in eodem genere cum malitia morali, sed solum cum entitate physica peccati, idèd influit in materiale peccati, sed non in formale, quia hoc est extra sphaeram activitatis DEI.

Dices : Præmotio physica est longè majoris efficaciae, quàm moralis; ergò, si hæc, etiam illa attinget formale peccati.

R. d. a. Est majoris efficaciae *intensiva*, h. e. in suo genere physico, manendo in linea entis, con. est majoris efficaciae *extensiva*, quasi possit extra lineam entis in lineam moris extendi. neg.

Ad 4. *d. a.* Prohibet peccata *formaliter*, vel etiam ipsam entitatem, ut *defectuosè* procedentem à voluntate, con. peccata merè *materialia*, & nullo modo defectuosè à voluntate procedentia, neg. idem dicas de punitione peccatorum. neque DEus est injustus puniendo peccata formalia, quia solum præmovet ad materiale peccati, & quidem ita, ut intactam relinquat
in

in homine potentiam non ponendi actum.

Ad ultimum d. rat. DEus prædeterminat causam secundam *consentaneè ejus naturæ*, h. e. liberè, & *causando ipsam libertatem actûs*, con. necessariò, & *tollendò libertatem*, neg.

SENTENTIA II. Affirmans. Ita

Th. Th. Goudin p. 4. q. 4. a. 4.
 Wenzl lib. 2. phys. contr. 5. q. 2.
 Renz lib. 7. & 8. phys. q. 3. a. 3.
 Hueber in harmonia Eroth. 2. Theor. 5.
 Babenstuber hîc d. 5. a. 2. Wiser de
 principijs, & causis rer. nat. p. 2. q. 7.
 Schnell p. 2. tr. 5. d. 2. q. 2. a. 2.
 Vischl d. 2. q. ult. a. 3. & seq. &
 alij plurimi, & ut ait Goudin l. cit.
 præcipuæ orbis Academiæ,
 Salmanticensis, Lovaniensis, Dua-
 censis &c. quibus accessit Universi-
 tas Salisburgensis. citantur etiam à
 Th. Th. Primates Societatis, ut
 Salmeron, Toletus, Bellarminus,
 Pererius, Azorius, Cosmas Alaman-
 nius, Henriquez &c. De Bellarmino
 tamen vide P. Joannem Rafsler Soc.
 JES. in Pallade sagata, & Togata part. 4.
 præcipuè a. 2. ubi num. 127. ait, præ-
 mo-

motionem Bellarminianam per hoc differre à præmotione Bannesiana, quòd motio DEI Bellarminiana pro meo lubitu sit obtinibilis mediante *negativa determinatione*, idque citra omnem prioritatem mutuam. porrò per hanc negativam determinationem Bellarminus *de grat. & lib. arbit. lib. 4. c. 16.* intelligit *non resistantiam* voluntatis; *posito influxu DEI*, inquit *loc. cit. fieri non potest, ut voluntas non operetur; & tamen operatio libera est, quoniam influxus DEI non ponitur, nisi prius voluntas per negativam determinationem ad illum recipiendum se disponat.* juxta Bellarminum ergò teste Gonet *in apolog. Thomist. c. 6. n. 98.* motus, seu applicatio, qua voluntas efficaciter movetur, & applicatur à DEO, pendet à *negativa quadam dispositione*, qua homo DEO *non resistit*, sed finit se ab illo moveri, & applicari: & per hoc humanam libertatem cum divina motione conciliat. vide Ralslerum accuratè hæc, & similia tractantem *loc. cit.*

FUNDAMENTA.

Ex quatuor ferè capitibus solent Th. Th. præmotionem suam proba-

bare, ea ad hæc puncta revocantur.

1. Probant ex auctoritate Aristotelis, & D. Thomæ. 2. Ex indifferentia, & potentialitate causæ 2dæ. 3. Ex eo, quod DEus sit causa prima; 4. quòd sit imum. liberum, & imum. Determinans. igitur

1. *Ex auctoritate Aristotelis, & D. Thomæ.* causa secunda sive libera, sive necessaria, (nec enim restringitur hoc axioma ad causas liberas) non agit, nisi mota à Prima; ergò motio, & applicatio causæ Primæ præcedit actionem causæ secundæ, ergò datur præmotio; sed non solum moralis, utpote, quæ in causis necessarijs locum non habet, ergò Physica.

2. Causa secunda applicatur à Prima; non per concursum; ergò per præmotionem.

3. Causa Prima facit, ut secunda faciat; ergò.

4. Si DEus creaturas non præmoveret physicè, non poterit dici, quòd aliquid faciat in creatura, ut hæc actualiter operetur; atqui juxta S. Thomam q. 3. de potent. a. 7. ad 7. DEus in rebus naturalibus facit aliquid, ut actualiter.

liter operentur, ergò &c. *maj. prob.* Tum quia concursus simultaneus non est ipsa actio creaturæ, sed volitio DEI formaliter immanens, virtualiter transiens; ergò nihil facit in agente, sed solum in effectu producto. Tum quia DEus per concursum simultaneum non facit, ut creatura faciat, sed econtra hæc facit, ut faciat DEus. ergò.

5. Creaturæ sunt instrumenta DEI: sed instrumenta debent recipere præviè aliquam motionem à causa principali, quâ applicentur, & excitentur ad agendum; ergò etiam creaturæ, &c.

6. *Ex indifferentia, & potentialitate causæ secundæ.* Causa secunda libera est principium indifferens ad utrumlibet; ergò debet à DEo præviè determinari per Præmotionem physicam; nam concursus simultaneus non præcedit ipsam actionem prioritate causalitatis.

7. Ens in potentia non est principium agendi; atqui voluntas sine præmotione est ens in potentia; ergò, &c.

8. Voluntas indifferens nisi determinetur ab extrinseco , non est ratio cur exeat potius in hunc actum , quàm alium ; ergò.

9. A principio indifferente nequit esse effectus determinatus ; ergò nec à voluntate non præmota. *ant. prob.* quia actio nequit exire nisi à causa determinata.

10. Voluntas ex se est *indeterminata* in ratione agendi , ergò indiget determinativo.

11. Nihil effectivè movet seipsum ; ergò voluntas debet à DEO moveri ad agendum.

12. *Ex eo quòd DEus sit causa Prima.* omnis causa 2da , & creata in ratione causæ perfectissimè , & essentialiter subordinatur DEO ut causæ Primæ actuali , & ab illo dependet actualiter ; atqui sine Præmotione physica nequit salvari hæc subordinatio , & dependentia causæ secundæ à Prima ergò datur Præmotio. *min. prob.* sine præmotione causa Prima non exercet prius naturâ causalitatem , & influxum realem in causam secundam ut actualiter causantem & in ratione cau-

causæ actualis constitutam ; ergò sine præmotione causa 2da in ratione causæ non subordinatur causæ Primæ.

Confirm. validè : Creatura per ipsam actionem suam , ab effectu , & causa agente distinctam ; determinat DEum ad hunc potius quàm alium concursum ; ergò ipsa determinatio , & actio creaturæ est prior concursu simultaneo ; ergò in illo priori actualis determinatio creaturæ non dependet ab actuali ; & immediato influxu DEi : atqui causa secunda constituitur in ratione causæ per ipsam actionem suam ; ergò sine præmotione creatura in ratione causæ non subordinatur ; nec dependet à causa Prima.

Nec dicās : Creaturam à DEo accepisse potentiam , & virtutem se , & concursum DEi determinandi , imò etiam hanc virtutem continuò à DEo conservari ; ergò adhuc subordinatur DEo in ratione causæ.

Contra est : 1. per conservationem virtutis agendi creatura DEO subordinatur , & ab eo dependet solum

in ratione causæ *potentiæ agentis* , non *actu agentis* ; ergò.

Contra est 2. ipsa actio , & determinatio creaturæ, quâ determinat concursum simultaneum, juxta communem contra Durandum debet immediate à DEo ut immediate in eam influente dependere, aliàs dabitur creatura non immediate participata à DEo ; sed non immediate dependet, & causatur à DEo per concursum simultaneum , cum hic sit posterior ipsa actione ; ergò per Præmotionem physicè influentem in ipsam actionem.

13. Causa Prima , & primum agens est illud , quod nullum aliud agens *formaliter* tale , seu ut actu agens præsupponit ; ergò si creatura determinet DEum ad agendum , & DEus non præviè in ipsam determinationem influat ; creatura, & non DEus, erit causa Prima , & agens primum.

14. *Ex eo quòd DEus sit Primum determinans, & primum liberum.* DEus est primum determinans, & primum agens liberum ; ergò debet antecederet ,
&

& absolutè causam 2. determinare ,
& liberè præmovere ad agendum.

Prob. conf. 1. Si DEus non præviè determinat causam 2. tunc causa 2da primò determinabit concursum DEi indifferentem ; ergò causa 2da erit primum determinans.

Prob. conf. 2. Si DEus non determinat antecederet causam 2. tunc creatura priùs exerceret suam libertatem , nimirum determinandò liberè concursum DEi indifferentem ; ergò creatura esset primum liberum.

Prob. conf. 3. Si DEus determinaret voluntatem hominis physicè , voluntas non maneret libera , sed necessariò operaretur , ut clamant R R. contra Th. Th. ergò etiam si DEus solùm determinaretur à causa 2da & non præviè causam 2. determinaret , necessariò operaretur , & non liberè ; ergò non esset agens liberum.

15. DEus est Primus motor in genere physico ; ergò est Præmotor.
prob. conf. quia motio physica præcedit operationem causæ 2dæ ; ergò est Præmotio.

16. Creatura sine præmotione non est constituta in ratione principij in actu 2do operativi ; ergò , ut creatura actu operetur requiritur præmotio.

17. DEus movet causas secundas conformiter eorum naturæ , liberas liberè , necessarias necessariò ; ergò præmotio non tollit libertatem.

18. Præmotio se tenet *ex parte actûs secundi* ; ergò non destruit actum primum , seu potentiam ad utramque contradictionis partem.

19. DEus non solùm dat actu operari , sed & *liberè* operari , cùm sit Author libertatis ; ergò præmoven-dô non tollit libertatem.

20. Causa 2da seipsam determinandô non tollit libertatem ; ergò etiam DEus prædeterminandô voluntatem non tollit libertatem.

21. Præmotio physica non tollit indifferentiam judicij , h. e. non impedit , quin objectum proponatur ab intellectu ut indifferenter amabile , aut respuibile ; ergò non tollit libertatem.

RESPONSA Aa.

Ad 1. d. a. 1. Nisi mota *præmotione physica*, neg. nisi mota, h. e. *causata*, con. hanc Aristotelis mentem fuisse, patet ex eo, quòd illo axiomate probare velit existentiam causæ primæ, ut sensus sit: *omnis causa secunda operatur dependenter ab alia, quousque ad primam aliquam, & immotam, seu incausatam tandem deveniatur, ne detur processus in infinitum.* d. a. 2. Nisi mota *motione universali, & indeterminatâ* ad hoc, vel illud in particulari, qua voluntas inclinatur necessariò *ad bonum ut sic*, con. *motione particulari* ad unum *determinata*, neg. quòd autem S. Thomas hujusmodi motionem universalem statuatur, patet clarè ex 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. quem textum unâ cum plurimis alijs invenies apud P. Petrum Kirsch Soc. Jes. in opusculo, cui titulus: *DEus movens ex mente D. Thomæ absque prædeterminatione physica.* S. 3. pag. 14.

Ad 2. d. a. Applicatur, h. e. per physicam præmotionem *physicè impellitur* ad agendum, neg. applicatur,

h. e. à divina providentia dirigitur in suum finem &c. con.

Ad 3. d. a. Facit *physicè* promovendô, neg. dandô *virtutem operandi*, & *concurrentib; simultancè*, con. item facit *per motionem universalem* ad bonum ut sic, con. *per motionem particularem* ad bonum particulare, neg.

Ad 4. Neg. maj. ad prob. 1. resp. 1. retorq. arg. idem enim obijci potest illis Th. Th. qui *præmotionem* non in qualitate voluntati impressa, sed in volitione DEI formaliter immanente, & virtualiter transeunte constituunt. resp. 2. d. c. ergo nihil facit in agente *physicè*, h. e. non producit in agente aliquam *entitatem physicam*, con. nihil facit *denominativè*, neg. facit enim suo concursu, ut creatura agat, quæ sine concursu DEI non ageret.

Ad prob. 2. neg. ant. Licet enim creatura influxum, & concursum DEI ad hoc, vel illud pro arbitrio determinet, hoc tamen non obstat, quin DEus faciat, ut faciat creatura; nisi enim DEus concurreret, creatura non posset operari, & non operaretur.

Ad 5.

Ad 5. d. maj. Sunt instrumenta DEI *pura*, & *artificialia* ut malleus, securis &c. quæ agunt ut *pura* instrumenta, & *purè* instrumentaliter, *neg.* sunt *instrumenta* *latius dicta*, quæ non solum ut instrumenta, sed ut causæ naturales agunt, *con. maj. dist. eodem modo min. & ne. conf.* sic inquit Dolanus *de modo conjunctionis, &c. p. 4. c. 3. n. 7.* ignis dum ab Alchimista dirigitur ad aurum fictitium conflandum, nullam præviam motionem, ac realitatem ab artifice recipit, sed ritè applicatus ex virtute propria, & naturali operatur; sic DEus utitur creaturæ ut instrumentis ad fines sibi notos, non imprimendò aliquid, sed omnia sic disponendò per suam infinitam providentiam, atque dirigendo, quomodo novit conducere ad finem à se intentum.

Ad 6. d. a. Est principium indifferens *indifferentiâ passivâ*, sicut materia prima respectu formarum, *neg. indifferentiâ activâ*, h. e. potest hoc, vel illud pro suo lubitu agere, *con. ant. n. conf.*



Deinde : Nunquid voluntas præmota ad amorem est indifferens , & potest elicere amorem , vel odium , & tamen potest à voluntate elici amor sine alio physicè determinante extrinseco ; ergo etiam sine præmotione &c.

Ad 7. d. maj. Ens in potentia *purè passiva* , con. in *potentia activa* &c. neg.

Ad 8. d. a. Nisi determinetur ab extrinseco *moraliter* , & *objectivè* , h. e. à bonitate objecti allicientis , con. *physicè* , & *effectivè* per præmotionem physicam , neg. quòd autem stante suasionem objecti eligat potius hunc actum , quàm alium , exinde est , quia *sic voluntati libera potentiæ placet*.

Ad 9. d. a. à principio indifferente *manente tali* , con. *non manente tali* , sed quod per ipsam positionem effectus determinetur. neg. *vel* : nequit esse effectus determinatus , *jam in sua causa determinatus* , con. *determinatus in se*. neg.

Ad prob. d. a. nisi à causa determinata *quoad entitatem* , con. *quoad actualem*

alem influxum, subd. *antecedenter ad influxum actualem*, h. e. debet esse actu determinata ad hunc potiùs effectum quàm alium, antequam influat, & quidem *ab aliquo extrinseco*, non *à se*, neg. *concomitanter cum influxu actuali*, h. e. dum actu influit debet influere in determinatum effectum, con.

Ad 10. d. a. Est indeterminata *ex imperfectione*, uti est v. g. bilanx, neg. *ex perfectione*, & cum potestate seipsam determinandi, con. a. n. c.

Ad 11. nihil effectivè movet seipsum *independenter à causa prima*, con. *dependenter*, neg. & deinde movetur voluntas etiam ab objectis. accedit, quòd voluntas in illo priori, dum præmovetur ad amarem, possit non amare, non permoveri; à quo ergò movetur? à seipsa? idipsum dicimus.

Ad 12. *Neg. min. vel dist.* nequit salvari hæc subordinatio sine præmotione, h. e. *sine aliqua causalitate DEI antecedente ipsum actum & dum creaturæ*, con. *sine præmotione physica Thomistica*, neg. min. & conf. *ad prob. neg. ant.* nam actus secundus causæ secundæ tria includit.

1. Cau-

1. *Causam* ipsam , quæ agit, eiúsque virtutem operativam,

2. *Effectum* , qui producitur,

3. Ipsam *actionem formalem* , quæ causam denominat agentem, & effectum fientem. atqui in hæc omnia, ut sunt entia realia DEus immediatè influit, & quidem *causalitate* naturâ *priori*, sine præmotione physica; ergò sine præmotione physica salvatur illa subordinatio, & dependentia. *min. prob.* nam 1. DEus immediatè influit in *ipsam causam*, ejúsque *virtutem*, eam immediatè *producendô*, & *conservandô*, quæ productio utique dicit *prioritatem* causalitatis. 2. Immediatè influit, & causaliter in *effectum*, eum unâ cum creatura *per concursum simultaneum*, h. e. per *actionem DEI* formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem physicè *producendô*. 3. Denique ipsa *actio formalis* non est quid realiter distinctum à causa, & effectû, ergò etiam non indiget influxu distincto causæ Primæ. Et sic ruit fundamentum, & suppositum Th. Th., qui volunt, *actionem esse ens à causa, & effectû distinctum*, quod nos negamus. SEN-

SENTENTIAM istam, quòd *actio* non sit *entitas* ab agente, & termino realiter *distincta*, docent Nominales omnes, ex Thomistis Masius 3. *phys. s. 1. c. 3. q. 4.* referens pro eadem sententia Capreolum, Soncin. Ferrar. Jabellum, & alios. consentit Card. Ptolomæus *diff. 5. Physico-metaph. s. 3. & 4.* nec non Philosophia Burgundica in *metaph. tr. 2. d. 2. q. 8.* solidè; & Gervasius *p. 1. phys. quæst. de modis in communi, & inferiùs tr. 4. q. 2. a. 12.* videtur etiam esse D. Thomæ, & Scoti. vide etiam Purchotium *Tom. 5. in Exercitat. Ontolog. disp. 4. s. 2. q. 3.* & Baronem in *Scoto defenso Tom. 1. apolog. penult. act. 2.* ubi fortiter iste posterior nititur probare, dari actionem mediam.

Probatur breviter : 1. DEus producit creaturam sine actione media, & tamen denominatur agens, & creans; ergò, ut causa sit agens non opus est actione media. 2. Juxta Aa. ipsa actio media producitur verè sine alia actione, ergò etiam ipse effectus potest à causa immediatè produci sine actione media. 3. Licèt actio sit
for-

formaliter actio, tamen effectivè pendet à causa; ergò, si ipse effectus indiget actione media, etiam ipsa actio effectivè dependens à causa indigebit actione media.

Ad Confirm. ex dictis 1. *neg. suppos.* actionem esse entitatem realiter distinctam à causa, & effectu. 2. *neg. ant. vel dist.* determinat DEum priùs *per aliquid reale*, à se positum, ad quod DEus non concurrat. *neg.* ita ut illa determinatio creaturæ præcedens concursum sit *tantùm aliqua formalitas*, tr. ant. d. *conf. neg. conf. vel dist.* 2. *conf.* ergò illa determinatio seu formalitas non dependet *formaliter* ab influxu DEI, *transf.* non dependet *realiter*, & *identice*, *neg.* res ita explicatur: determinatio illa seu operatio, qua creatura antecederet ad concursum simultaneousum se determinat, non est entitas aliqua realiter à voluntate, & effectui distincta, sed est ipsa entitas voluntatis, cum concursu DEI profundens effectum, sic ut ratio cur hic effectus potiùs fiat quàm alius, adscribatur voluntati tamquam causæ particulari.

ita-

Itaque realiter loquendo determinatio voluntatis , & concursus DEi simul sunt in uno instanti reali. Dicitur tamen determinatio voluntatis præcedere concursum eo solum sensu, quòd ex ipsa proveniat, cur ejus potentia , & concursus DEi producant hunc potiùs effectum quàm alium, non verò eo sensu, quasi voluntas in illo priori antecederet ad concursum aliquid reale producat , ad quod DEus immediatè non concurrat.

Res patet exemplo. v. g. semen lactucæ non producit lactucam sine influxu solis , & tamen hic est indifferens , ut lactucam , vel brassicam producat ; ideoque determinatur à semine, quin tamen exinde sequatur, quòd illa determinatio lactucæ sit aliqua actio producta sine concursu solis , sed tantum est formalitas , quæ productio lactucæ magis quàm brassicæ cum hoc influxu solis , potiùs semini adscribi debeat , quàm soli , &c.

Dices : Si causa secunda determinat concursum DEi per formalitatem aliquam

aliquam, sequitur formalitatem aliquam esse à sola creatura; sed &c. ergò.

R. *Con. seq.* nego autem hoc esse quid absurdi; nam etiam *formalitas vitalitatis, meritorij &c. reduplicativè* soli causæ creatæ adscribuntur.

Ad contr. 1. dico creaturam subordinari DEO, & ab illo dependere in ratione causæ actu operantis per *conservationem*, & simul per *concursum simultaneum*; nisi enim DEUS concurreret, causa secunda nunquam posset operari; ergò actualis operatio dependet à concursu simultaneo.

Ad contr. 2. Resp. 1. d. maj. ipsa actio *adaquatè sumpta*, & *ut completa* debet dependere à DEO, *con.* actio *inadaquatè*, & solùm *inchoativè* sumpta pro inceptione actionis, & determinatione qua se voluntas determinat ad agendum, *subd.* debet dependere *ab influxu proprio*, *neg. ab influxu DEI Conservativo* ipsius causæ, *con. maj. d. m. n. conf.*

Resp. 2. Neg. suppos. actionem illam esse entitatem realiter aut modaliter distinctam à causa, & effectui. nam vo-
lun-

luntas à DEO per motionem *universalem* determinata ad bonum *ut sic*, se determinat ad effectum non per aliquid distinctum, sed per hoc præcisè, quòd *se effectui producendo applicet*; & quidem *liberè*, quia bonum illud non proponitur cum absoluta bonitate, sed *ut mixtum malo*; ergò posset se non applicare.

Nec dicas. Existente causa, & existente effectu potest tamen non dari actio; ergò agere dicit aliquid plùs, h. e. entitatem distinctam.

R. 1. D. a. existente effectu *in facto esse*, con. existente effectu *in fieri*, neg. si enim supponatur effectus incipere existere, seu actu emanare è causa, non potest non simul importari, & intelligi actio.

R. 2. D. c. plùs dicit *entitativè*, & *in recto*, neg. *Connotativè*, & *in obliquo*, con. sic enim agere involvit simul ipsum fluxum, & emanationem effectus à causa, & ipsum influxum causæ in effectum.

Ad 13. *D. c.* si creatura determinet DEum per determinationem *realiter distinctam* ab effectu producendo,

D d

con.

con. si solum determinet *per formalitatem* aliquam, quæ non sit entitas distincta, neg. conf.

Nec dicas 1. Creatura prius se applicat ad producendum effectum quàm DEus; ergò creatura erit causa prior DEO.

R. D. a. applicatione importante *entitatem realem*, neg. importante solum *formalitatem*, con. a. n. c. dum enim creatura producit aliquid reale, etiam in eodem instanti agit Deus; ergò creatura non est causa prior.

Nec dicas 2. Si Deus, & creatura simul operantur realiter, tunc neutra causa erit *Prima*, sed erunt causæ *simultaneæ*, ergò DEus adhuc non erit causa *Prima*.

R. 1. *reitorq. arg.* causa 2da præmota ad amorem *potest* exercere odium; ergò *potest* esse causa *Prima*.

R. *Neg. seq.* DEus enim est causa *Prima* *Tum* quia realiter prius producit ipsam causam 2dam ejusque virtutem activam; *Tum* quia ipse operatur *independenter* ab omni alio. in quo formaliter consistit ratio causæ *Primæ* ex mente S. Thomæ in 2. d. 37. q. 2. a.

2. ubi ait : *De ratione primi principij est, ut possit agere sine auxilio superioris, & sine influentia ejus.* Creatura ergò est causa secunda, quia operatur dependenter tum à concursu *conservativo*, tum à concursu *simultaneo*.

Ad 14. *Neg. conf.* 1. quia DEus antecedenter, & absolutè determinandò voluntatem ad unum tolleret libertatem causæ 2dæ. in agendo; ergò non esset *Primum*, sed *unicum* liberum. 2. Quia ad hoc ut DEus sit *Primum* determinans, & *Primum* liberum, sufficit quòd DEus antecedenter ante omnem determinationem causæ 2dæ. liberè decreverit; & *determinaverit* creaturæ offerre omnipotentiam suam, & concursum ad quoscunque actus causæ 2dæ. itaque *exercitium libertatis divina* præcedit exercitium libertatis nostræ.

Ad prob. 1. d. a. 1. Causa 2da determinabit concursum DEI *determinatione propriè dicta* aliquid reale producendò in causa prima, aut aliquod jus in eam exercendò, *neg. determinatione impropriè dicta* ponendò conditionem, quâ positâ DEus decrevit ex libera

sua voluntate concurrere ad actus
causæ 2dæ. con. an. n. c. 2. d. a.
aliter: determinabit *dependent* à *Prima*
determinatione causæ Primæ, qua
decrevit concurrere &c. con. *independ-*
enter ab hac determinatione &c. neg.
a. & conf.

Ad prob. 2. Neg. ant. patet ex di-
ctis *ad argum. n. 14.*

Ad prob. 3. Neg. conf. & parit. di-
sparitas est: quia si DEus physicè de-
terminaret voluntatem, hæc determi-
natio voluntati non esset libera, quia
eam non elegisset, vel ej se submi-
sisset per volitionem præcedentem.
Econtrà DEus liberè præviè decre-
vit, & se liberè determinavit ad con-
currendum ad quoscunque actus,
quos creatura elegerit; ergò &c.

Ad 15. D. c. ergò Præmotor mo-
tione *universali*; ad bonum ut sic, con.
motive *particulari*, & determinata
ad unum, neg. & hæc motio uni-
versalis est motio physica, *Tum* quia
per eam DEus creaturæ imprimit in-
inclinationem in bonum, quæ incli-
natio utique est quid physicum. *Tum*
quia etiam finis est vera realis, &
phy-

physica causa ; ergò licèt hæc motio sit solùm objectiva , & in ratione finis , est tamen *physica*.

Ad 16. *neg. ant.* nam creatura in actu imo proximè operativa constituitur per suam virtutem activam , per concursum DEi indifferenter oblatum , & per cæteras condiciones requisitas ad agendum, In actu 2do verò operans constituitur per ipsam actionem formalem , seu per actua-lem influxum in effectum.

Ad 17. *D. a.* per *Pramotionem physicam* determinantem ad unum, *neg.* secùs con.

Ad 18. *tr. ant. neg. conf.* quia Præmotio ad unam partem ligat potentiam ne possit contrarium facere , sicut vincula ligant , & impediunt destruuntque potentiam proximam ad ambulandum. Unde *dist. conf.* non destruit potentiam *remotam*, con. potentiam *proximam*, & proximè *expeditam* & potentem in actu 2do egredi ad utrumlibet. *neg. conf.*

Ad 19. *D. a.* est author libertatis, & dat liberè operari per *Pramotionem physicam* , *neg.* hæc enim, cùm inim-

pedibiliter determinet ad unum, repugnat libertati : Est author libertatis, & exercitij libertatis *per concursum conservativum*, & *simultaneum* con. a. n. c.

Ad 20. 1. *Neg. conf.* quia de ratione causæ liberæ est, ut non ab extrinseco, sed à se ipsa determinetur; cùm ergo DEus sit principium extrinsecum respectu causæ secundæ, non verò causa secunda sibi sit extrinseca, ideò DEus prædeterminandò tolleret libertatem, non verò tollit ipsa causa secunda, quia ipsa determinatio propria, non verò aliena est in potestate causæ secundæ. 2. d. c. non tollit DEus libertatem *propriam*, con. non tollit libertatem *causæ determinatæ*, neg.

Ad 21. *Neg. conf.* quia ad actum liberum non sufficit sola indifferentia judicij, sed requiritur etiam indifferentia voluntatis; ad quid enim judicium indifferens, si voluntas non potest sequi quamcunque partem, sed unam determinatè?

Fundam. præcip. Sent. 1. Præmotio 1. est superflua causis cùm necessarijs tum liberis.

ris. his, quia hæc est ratio distinctiva
causæ liberæ, ut seipsam determinare
possit; illis, quia ex natura sua jam
sunt determinatæ ad unum. 2. Tollit
libertatem, quia voluntas præmotà ad
unum non est indifferens ampliùs ad
utrumlibet; nec habet omnia requi-
sita ad utrumque: inter alia enim eti-
am est præmotio, quam non habet
ad utrumque. 3. Repugnat sanctita-
ti DEI, qui præmovendo ad mate-
riale peccati, etiam ad formale
peccati, quod connexum est ma-
teriali, præmoveret. *authoritas*
verò, quam opponunt, aut
dubia est, aut nulla. *Potentia*, quam
dicunt esse intactam, est sterilis, va-
cua, ac frustranea; cùm implicet,
eam exire in actum. ratio primi li-
beri, Causæ Primæ in DEO salvatur
per concursum conservativum, si-
multaneum, & quòd nulla operatio,
nullum ens assignabile sit in exercitio
libertatis, non dependens à DEO,
tum concurrente, qui concursus est
natura, & dignitate prior, tempore
simultaneus; tum moraliter præmo-
vente in bonis. demùm voluntas est

potentia quidem indifferens, sed indifferentiâ non *passivâ*, & imperfectionis, quæ ab alio determinari debeat, sed *dominativâ*, & perfectionis, quæ se ipsam possit determinare, & hanc prærogativam DEO in acceptis refert.

Fundam. Sent. 2. Præter axiomata recepta 1. Autoritas S. Thomæ, qui ait DEum facere, ut operentur creaturæ, sed concursus simultaneus non facit, ut creatura operetur; sed potius contrâ creatura facit, ut concurrat DEus. 2. Voluntas est principium indeterminatum, & indifferens; ergò indiget determinativo. 3. Et maximè quia DEus, ejusque concursus determinaretur à creatura, si non daretur præmotio, ergò DEus non esset Causa Prima illius determinationis, quæ præveniret DEum, & DEus illi, non illa DEO subordinaretur. Causa autem prima absolutè, primum liberum, determinans absolutè primum nullum aliud præsupponere debet determinans. unde præmotio nec est superflua, sed necessaria, causis *liberis* quidem, ut se ipsas

ipsas determinare possint secundariò , & dependenter : *necessarijs* , ut licèt sint quoad *speciem* actûs jam determinatæ , etiam determinentur ad *exercitium* actûs , in quo sunt adhuc indifferentes. rursus non tollit *libertatem* , quia determinat ad unum per modum liberi movendo conformiter cujusque naturæ , i. e. liberasliberè , necessarias necessariò. neque aliquod requisitum deest ex parte actûs primi , seu potentiæ , ratione cujus dicitur posse agere , vel non agere ; præmotio enim se tenet ex parte actûs , non potentiæ. similiter materiale est connexum cum formali , sed non vi motionis divinæ , sed voluntatis perversæ. actio enim secundùm materiale , quâ à DEO est , potest esse bona , vel mala , & DEUS relinquit intactam potentiam.



D d 3

QUÆ-